

1951

C O D I C E S

1952

*stro praeter paucos ad Portam Coeli* Canoniarum S. Aug. olim Templo, unumque ad D. *Stephani*.

DCCCVIII.

- U. 196 Codex chartaceus praecedenti per omnia geminus, Folior. 337. est *Pars Secunda* eodem modo inscripta, sed Sermones in varia Divorum Festa, de Sacramentis et aliis quibusdam Materiis complexa, ut Index praefixus docet. Nihil in Sermonibus his omnibus fingulare, nihil tamen etiam absonum. Latine conceptos, germanice prolatos fuisse, verba aliquando marginibus adjecta docent. Ita fol. 113. ubi Textus habet: *de grandiori et solido cibo*, foris legas: *mit starkh vnd fester speis*. De Autore nil compertum habeo, nisi, quod *Collatio facta Wienne pro Imperatore Sigismundo*, fol. 194. ita subscribatur: *Hec collatio facta est wienne in ecclesia sancti Augustini per quendam cappellanum ac confessorem Illustris domine Elizabeth ducisse Austriae Marchionisseque Moraviae ac predicti domini Imperatoris filie inclite (Heroinae illius ante diem Alberti II. Imp. Viduae) sub Anno domini 1433. In die Sancte Marie Magdalene, presente ibi multitudine cleri et laicalis populi. Nam, ut ait Orator, qui toto sermone officia Principis et spes Reip. in eo repositas bene exponit, hodie cum solempni processione et sanctorum reliquijs ad hunc deuotissime peruenimus locum. Meminit etiam Sigismundi nouiter in*

*boc anno, scilicet in solempni die penthecostes a sanctissimo patre nostro papa Eugenio imperialiter (Romae) coronati, et confidit, quod ipse auxiliante deo purgaturus sit aream militantis ecclesie a palea hereticorum bussiticorum, et plurium aliorum malorum. Voluntas sane non defuit.*

DCCCIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 213 Folior. 446. 4. non una manu conscriptus, et quondam, ut dorsum testatur, M. *Johannis Hymmel Styri* ex oppido *Weiz*, Th. Prof. canonici ad D. *Stephanum*, ter Academiae inter an. 1425—41. Rectoris, et *Alberti Ducis* cum *Nicodemo Scaligero Ep. Frisingano* ad Concilium *Basileense* Oratoris, ut aliquanto pluribus docet *Pars I. Scriptt. Universit. Vien.* p. 126. plurima hujus Viri industria congesta seruat, quae per censebo. Fol. 3. *Sermo de purificatione b. Virginis*. In illud: *Legem impleuit, ad Rom. 13. Init: Reuerendi patres &c. Solempnitatis hodiernae preconia &c.* Sermones hic occurrentes habitos fuisse ad Academicos, semel monuisse suffecerit.

Fol. 10. p. 2. *Johannis Turndel* Can. et Vicarii *Nicodemi Ep. Frisingensis* Transsumtum adlatae a *Petro* Can. regulari in *Vnderstarf Bullae Concilii Basileens.* qua *Executoribus Indulgentiarum pro orientalis ecclesie et grecorum felici reductione* concessarum facultas a *fimoniaca* prauitate absol-